

**1472** commendare . Deus Optimus Maximus tuos secundet successus : spero fore , ut tua unius virtute ingentes clades , quas christiano nomini immanissimus hostis intulit , brevi majore quodam barbarorum incommodo resarciantur . Ad ea Mocenicus pauca de se , sed de Venetis magnifice multa est pollicitus : modo christiani Principes ii essent , qui ad id bellum conficiendum Venetas opes juvare vellent . Atque cum his Pontificis Legatus in Italiam , Venetus Neapolim Peloponnesiacam diversi abiere .

*Adolescens  
eximia in-  
dolis ar-  
mamenta-  
rium , quod  
Callipoli e-  
rat , noctu  
incendit.*

Hic dum imperator muniendo oppido instat , Siculus adolescens ( Antonio ajunt fuisse illi nomen ) ad eum venit : fuerat is Chalcidica expugnatione captus : edocet exploratam se habere classem , quam subductam Othomanus Callipoli haberet : cum toto armamentario , quia noctu non asservaretur , facile concremari posse : ac si darentur sibi fidissimi comites , fore ut intra paucos dies audiret , a se nihil vani allatum . Exosculatus adolescentis indolem Venetus , magnis onerat pollicitationibus . Sociis & navigio comparatis , mox ille negotiatorem mentitus , scapha pomis referta Dardanulos superat : inde quum Callipolim applicuisset , sordido quæstui per diem intentus ( quando majus omnino facinus animo agitaret ) sequenti nocte armamentario cum centum navium apparatu incenso , in naves quæ proximo loco subductæ stabant , ob concursum hominum ad primam flamarum eruptionem factum , ignem injicere non potuit . Ipse Hellespontum tracicere studens , navi qua erat , ob ignem temere disjectum , incensa , in proximam sylvam concedere coactus est , ubi cum sociis in quam profundissimam potuit partem sese illatebravit : sed ubi poma fluitantia passim conspecta sunt , naviculaque proximo loco demersa , confessim rati quod erat , hesterni illius negotiatoris opera id factum , ex fuga postridie uno ex sociis perempto , qui non impune occubuit , retracti , ad Othomanum Siculus & reliqui sunt missi : a quo rogatus adolescens , qua sua injuria tantum facinus patrare esset ausus , ferociter & intrepide respondisse dicitur : *Communi christiani nominis hosti nocere voluisse : ag-  
gres-*